

numerorum est crux (\dagger). Iam, quia vnitatum congregatio numerus est, facile intelligitur, diuersorum numerorum fieri summam, cum, quas alter numerorum vnitates complectitur, eae alterius numeri vnitatibus adiiciuntur, vt vno omnes numero comprehendantur. Idem de reliquis augendi minuendique rationibus valet.

5. *Multiplicatione* augetur numerus, cum idem aliquoties sumtus in vnam summam colligitur. Numerus, qui multiplicatur, et alter, qui indicat, quoties sit idem numerus sumendus, *factores* vulgo dicuntur, et, qui efficitur, *factum* s. *productum*, latinis *summa*, vel *multiplex*. Signum multiplicationis est decussis (\times) $a \times b$. Solet tamen, compendii causa, etiam sola numerorum coniunctione indicari, vt pro $a \times b$ scribatur ab : si quidem literis exprimantur. Secus est in ipsis numeris.

6. *Subtractio* est ea diminuendi ratio, qua numerus diuersus ab dato aufertur. Qui, diminutione facta, relinquitur, *residuus*, *differentia*, *excessus*, et *reliqui summa* dicitur. Signum est lineola transuersa ($-$).

7. *Diuisio* numeri est diminutio eius, quae fit, auferendo eundem aliquoties numerum, toties scilicet, quoties fieri potest. Qui indicat numerus, quoties possit idem numerus demi, *Quotus* dicitur; qui demitur, *Diuisor*; qui minuitur *Diuidendus*. Signum esse solet colon (:), vel lineola transuersa, vtrique numero interiecta, $\frac{6}{3}$. Recte etiam *numerorum dimensio* dici potest. Diuisor enim est quasi mensura, qua numerum metimur, vt, quoties maiori numero contineatur, appareat.

8. Nume-